

tutis. Et in eodem sensu dicit ibidem nos nunc accepisse adoptionem filiorum, utique conjunctam cum statu et spiritu filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Et in eodem sensu concludit de justo: *Itaque jam non est servus, sed filius*, scilicet, quoad statum et spiritum servitutis: nam quoad substantiam non potest justus non esse servus Dei. Et eodem modo potest exponi locus Joannis; ab initio enim mundi data est hominibus potestas *filios Dei fieri*, tamen per Christum data est peculiari modo quoad statum, et quoad spiritum; licet hic locus aliter possit etiam exponi, ut statim dicam.

9. *Exponuntur Patres.* — Patres autem, qui interdum dicunt illam antiquam filiationem fuisse figuralem, pie possunt exponi ut solum id dixerint propter imperfectionem illius status; vel fortasse melius in populo Israelitico distingui potest duplex filiatio, sicut duplex justitia. Una legalis, altera spiritualis; una ex lege, altera in lege, vel sub lege. Prior consistit in promissione, et quasi adoptione illius populi ad Israeliticum regnum in terra promissionis, sub peculiari cura et protectione Dei, prout eleganter describitur a David Psal. 77, et Psalm. 104 et 105. Hæc ergo merito dicitur filiatio figuralis, et de hoc loquuntur Chrysost., et Theophyl. et OEcumen. super dicta loca Pauli et Joann.; et Cyr., lib. 4 in Joan., cap. 14. Qui tamen non negant in eisdem Judæis filiationem spirituales per gratiam, sed illam ibi non commemorant, quia non erat ex lege: imo qui illam habebant, ad legem gratiæ, ut sic, pertinebant, ut supra ex Augustino diximus, et accommodate ad hoc explicat lib. 2 contra duas epistolas Pelagian., cap. 4.

10. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: lex nova, etiam quoad præcepta et documenta, longe perfectior est lege veteri. Conclusio est communis, et eodem modo certa, ut sumitur ex eisdem locis ad Hebræos 7 et sequentibus, et ex diverso modo quo ubique Paulus loquitur de lege et de Evangelio. Hic autem excessus perfectionis legis novæ in multis consistit, quæ ex omnibus tractatis in hoc libro et præcedenti facile colligi possunt, discurrendo per causas, effectus, et proprietates utriusque legis. Primo ergo perfectior est lex nova in fine, quia, licet utraque lex ordinaverit homines ultimate ad felicitatem æternam, tamen lex nova immediatius, plenius et efficacius. Unde etiam excedit in fine proximo, quia totus finis hujus legis est maxime spi-

ritualis, scilicet, destructio peccati, et perfecta sanctificatio, et cum Deo conjunctio: lex autem vetus proxime versabatur, magna ex parte, circa temporalia, et intendebat felicitatem et pacem externam reipublicæ, cum justificatione etiam legali, quamvis per hæc remote et modo imperfecto intenderet spirituales finem. Atque huc spectat quod lex nova est finis veteris, ut infra dicam.

11. *Secundus excessus legis novæ.* — Secundo, excedit lex nova ex parte efficientis: nam lex vetus per Moysen, nova autem per Christum Deum hominem data est. Quam exaggerat Paulus ad Hebræos 2, considerans illam legem non tantum ut datam per hominem, sed etiam ut datam per Angelos. Quanto enim Christus melior est Angelis effectus (ut idem dixerat cap. 1), tanto sermo et lex Christi dignior est sermone Angelorum et lege per illos data. Dices: utriusque legis auctor est Deus, Angeli vero et Moyses tantum fuerunt organa. Respondetur ex hac parte inveniri quamdam æqualitatem, prærogativam autem legis novæ esse quod non solum est a Deo, ut Deus est, sed etiam ut est homo, unde etiam habet ut non solum sit data per Christum ut promulgatorem, sed etiam ut legislatorem, per voluntatem humanam. Et ita hæc lex quasi duplici titulo est divina, scilicet, quia est a voluntate divina, per essentiam, et alia voluntate Dei per communicationem idiomatum, seu deificata per unionem hypostaticam. Ex quo mirum in modum augetur dignitas hujus legis, saltem extensive per plures respectus moraliter dignificantes. Et non parum auget hunc posteriorem respectum, quod proximus auctor hujus legis simul fuit redemptor illorum quibus legem tradebat. Nam ex his omnibus titulis major quædam obligatio oritur quam ex alia lege Dei per puras creaturas tradita, quod significavit Paul. in verbis illis ad Hebr. 2: *Si enim qui per Angelos factus est sermo, etc., quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset narrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, etc.*

12. *Tertius excessus legis novæ.* — Tertio, excedit lex nova ex parte materiæ, seu ex rebus traditis, ac præceptis. Quæ differentia colligi potest imprimis ex legislatoris excellentia, sive lex nova ad Christum, et vetus ad Moysen vel Angelos conferantur, sive utraque ad Deum. Nam per se verisimile est altiore doctrinam et legem voluisse Deum tradere per filium, quam per ministros, ut notavit Ribera

circa dicta verba Pauli ad Hebræos 2, et idem significavit Paulus cap. 1 dicens: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in filio, etc.* Deinde idem ostendi potest discursu facto superius circa materiam legis novæ. Si enim spectemus materiam fidei, longe perfectior fides in hac lege præcepta est: nam in ea sunt revelata profundissima Dei mysteria, tam ut Deus est quam ut est homo, quorum explicita fides toti Ecclesiæ commendata est: in lege autem veteri, et pauciora mysteria sunt communiter revelata, et fide implicita illorum ad salutem sufficiebat. Et ideo, inter alias causas, interdum vocat Paulus legem novam legem fidei vel fidem, veterem autem vocat legem factorum, vel legem simpliciter, ut ad Romanos tertio, et ad Galatas tertio, quia lex nova abundat mysteriis fidei, et in illa maxime fundatur, licet aliqua etiam opera præcipiatur, vetus autem lex abundabat præceptis operum, licet aliquam fidem simul exigeret. Deinde in materia morali licet sit quædam æqualitas quoad substantiam (ut sic dicam) præceptorum moralium, excedit tamen lex nova in majori eorum declaratione, et exacta intimatione, et præterea quia consulit multa quæ ad perfectiorem observantiam pertinent. Denique in materia cæremoniali infinitus (ut sic dicam) est excessus, tum ratione sacrificii infiniti valoris, tum ratione sacramentorum continentium gratiam Christi, quæ omnia satis supra explicata sunt.

13. *Quartus excessus legis novæ.* — Quarto, excedit etiam lex nova ex parte formæ, quia non est scripta in lapidibus vel membranis, sed in mentibus et cordibus hominum, per verbum proprium ipsius Dei hominis, cooperante Spiritu sancto per abundantiam spiritus et interioris illuminationis, ut supra late declaratum est. Et ad hunc excessum pertinet differentia promulgationis: nam promulgatio suo modo pertinet ad complementum sensibilis formæ legis. Excessit autem promulgatio legis novæ. Primo, in prodigiis et signis quibus facta est: nam omnia indicabant plenitudinem Spiritus sancti et amoris, cum in promulgatione legis veteris omnia signa fuerint timoris et terroris, quibus ostensa est diversa qualitas et perfectio utriusque legis, ut Sancti expendunt, quos in superioribus satis citavi. Secundo, excessit promulgatio legis novæ in loco, quia vetus, in deserto et in monte quodam, privato populo data est; nova vero, in civitate regia, et in metropoli,

ut sic dicam, fidelis populi qui tunc erat, congregatis diversarum nationum hominibus prædicari cœpit, et postea per universum mundum consummata est. Unde tertio considerari potest excessus in modo, quia lex vetus, in uno tantum sermone, illi populo proprio tradita est, non vero cum dono linguarum, ut simul inciperet prædicari omni nationi quæ sub celo est.

14. *Quintus excessus.* — *Sexta excellentia.* — *Septima.* — *Octava.* — Quinto, excedit lex nova in virtute et efficacia sanctificandi, quam differentiam ubique tradit Augustinus, tanquam præcipuam, et virtute continentem cæteras, ut patet ex toto libro de Spiritu et littera, et lib. 1 de Gratia Christi, c. 19, et lib. de Natur. et Grat. cap. 57, et libro de Continent., c. 3, et aliis innumeris locis. Communiter autem explicatur hic excessus magis ex parte gratiæ quam ex parte legis, ut præceptivæ. Verumtamen licet hoc redundet etiam in perfectionem ipsiusmet legis, quia conjunctio cum gratia pertinet ad excellentiam ejus, et ad facilitatem et suavitatem, ut infra dicam, nihilominus lex nova, ut præceptiva, participat in suo genere quamdam gratiæ efficaciam, maxime ratione sacramentorum quæ præcipit, et promissionum quas includit, quam virtutem lex vetus non habuit, ut supra late declaratum est. Unde huc etiam spectat sexta excellentia legis novæ in promissionibus, quia sunt maxime spirituales et de bonis æternis, cum tamen in lege veteri fuerint temporales, quæ differentia frequens est in theologis et Patribus; supra tamen explicata est ubi eos allegavimus. Et huc etiam referenda est septima differentia in comminationibus, quæ in lege veteri ordinarie erant de suppliciis temporalibus, et corporali morte, raro autem fiebat explicata comminatio æternæ poenæ; in Evangelio autem e converso, ut ostendunt illa verba Christi: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest et corpus et animam perdere in gehenna*, Matth. 10. Denique ad hoc caput pertinet differentia utriusque legis in modo inducendi subditos ad sui observationem; nam lex vetus per timorem valde servilem, et quasi humanum, lex autem nova maxime per amorem homines inducit, non omisso timore altioris ordinis, magisque divino. Quæ excellentia circa priorem assertionem hujus capituli satis declarata est.

15. *Nona excellentia.* — *Decima.* — *Undecima.*



—Nono, excedit lex nova veterem in proprietate universalitatis, ex parte locorum et personarum, quia lex vetus pro solo Judæorum populo, nova vero pro omnibus hominibus et universo orbe data est: utrumque enim in superioribus ostensum est, et constat universalitatem legis ad ejus excellentiam pertinere. Similis est decima excellentia, sumpta ex alia proprietate immutabilitatis ac perpetuitatis hujus legis. Nam licet lex vetus prius data sit quam nova, illud tamen nec ad excellentiam pertinuit, nec est signum ejus, quia imperfectiora solent esse generatione priora, sicut dispositio præcedit formam, atque ad hunc modum præcessit lex vetus novam. At vero perpetuitas rei, postquam in suo esse producta est, ad perfectionem ejus pertinet: et hoc modo excelluit lex nova supra veterem, ut in superioribus late explicatum est. Addi etiam potest undecima excellentia ex alia legis Dei proprietate, quatenus immaculata dicitur. Nam licet hæc proprietas etiam in lege veteri inventa fuerit, majori tamen perfectione in nova, quia sicut utraque fuit sancta et spiritualis, et nihilominus lex nova est sanctorum et spiritualior, ut ex omnibus dictis satis constat, ita, licet utraque sit immaculata, nihilominus nova potest esse purior et magis immaculata. Consistit autem hic excessus in duobus. Primo, quia nullam permissionem vel dispensationem concedit in his quæ rectæ rationi non consonant, sicut lex vetus interdum faciebat. Secundo, in consiliis perfectionis, præsertim virginitatis: nam in lege veteri quodammodo præferebatur conjugium virginitati, quia homines illius status procreationi filiorum præcipue vacabant: in hac autem lege præfertur virginitas, tanquam aptior ad vacandum Deo et ad perfectionem animæ obtinendam, quæ per hanc legem maxime intenditur, ideoque purior et immaculatio est.

16. *Duodecima excellentia.* — Duodecima excellentia legis novæ sumitur ex alia proprietate quam illi tribuit Christus Matth. 11 dicens: *Jugum meum suave est, et onus meum leve*; e contrario vero lex vetus adeo onerosa fuit, ut de illa dixerit Petrus Act. 15: *Quam nec nos nec Patres nostri portare potuimus*, et pluribus aliis testimoniis hanc differentiam confirmat Cypr. l. 3 ad Quirinum, cap. 119. Nihilominus tamen non caret aliqua difficultate: hæc duæ leges videntur in hoc se habere tanquam excedens et excessum, et non est facile judicare quæ simpliciter excedat in onere

et difficultate. Si enim consideremus externa opera, et corporalem laborem ac exercitationem, sine dubio fuit multo onerosior lex vetus, quia plurimas cæremonias sacrificiorum, sacramentorum, et aliarum observantiarum præcipiebat, et præcipue circumcisionem carnis, quæ valde erat austera. Item lex zelotypiæ et similes valde difficiles erant: lex autem nova ex his exterioribus pauca præcipit, præter ea quæ sunt legis naturæ, ut constat ex dictis, et notat Aug., ep. 118 et 119, cap. 19, et 15 contra Faust. cap. 13. At vero ex interioribus actibus multa præcipit difficiliora, ut notat D. Thom. quæst. 107, art. 5, ubi fatetur præcepta novæ legis, quoad hanc partem, esse graviora; reddit autem rationem, quia lex nova expresse prohibet interiores animi motus, quod non ita expresse lex vetus faciebat, et licet aliquando prohiberet, non puniebat. Sed si quis recte consideret, hic excessus non erat in rebus præceptis vel prohibitis, sed in modo; nam lex vetus etiam prohibebat concupiscentiam, et præcipiebat dilectionem proximi absolute, sive esset amicus, sive inimicus, ut supra notatum est; ac denique, præcipiendo totam legem naturalem, consequenter vetabat quidquid illi contrarium est, ut sunt etiam actus interni. Quia vero lex nova expressius prohibuit iram, odium, concupiscentiam, etiam per solum desiderium internum, ideo ex hac parte dicitur quodammodo gravior, et in hoc sensu locutus est D. Thomas, et ita etiam exposuerunt Lyran. in præfat. ad Evang., et Abulens. Matth. 11, q. 68, et Chrysostom. in Imperfecto, hom. 10 in Matth., et sumpserunt ex August. 19 contra Faustum, cap. 23.

17. Ultra hanc autem difficultatem, videtur esse alia major in lege nova ex aliquibus actibus internis, et aliis externis. In internis quidem, quia præcipit credere altiora mysteria, et longe difficiliora, ut Trinitatis, Incarnationis et Eucharistiæ. Et ex hac parte exterior usus Sacramentorum est longe difficilior, quia postulat magnam fidem, et sanctitatem, et dispositionem ad illam, in quo specialis difficultas est in convenienti usu Eucharistiæ. Deinde in sacramento confessionis magna quædam difficultas invenitur: nam valde repugnat naturæ, ut per se constat. Præterea indissolubilitate matrimonii invenitur hæc lex gravior, et in absoluta prohibitione usurarum. Denique quo magis eradicat omnia vitia, eo difficilior impleri potest. Verumtamen hæc omnia eandem habent responsionem; fate-

mur enim ex parte actuum interiorum, et aliquorum exteriorum, quatenus ab interioribus pendent, hanc legem esse difficilioram; non enim poterat esse perfectior quin esset difficilior homini, secundum suam naturam spectato. Tamen quia hæc lex secum affert spiritum gratiæ et charitatis, ideo, respectu hujus status, est suavior et facilius quam lex vetus esset respectu suorum subditorum. Et hoc modo dixit Joan., 1 canonica, c. 5, *mandata Christi non esse gravia*, utique amanti, ut dixit August. de Natur. et Grat., cap. 69, quia *omnia seva et immania, facilia et prope nulla efficit amor*, ut idem Augustinus dixit serm. 48 de Tempore, et ita etiam hoc explicuit Hilar., canon. 11 in Matth., et optime auctor Imperfecti, hom. 28 in Matth.

18. *Decima-tertia excellentia.* — *Decima-quarta excellentia.* — Decimo-tertio, excedit lex nova veterem, quia est finis illius, et vetus fuit dispositio seu præparatio ad novam, juxta illud ad Rom., cap. 10: *Finis legis Christus*, et ad Gal. 5 dicitur lex fuisse pædagogus præparans ad Christum; et sic dixit August., lib. 1 de Gratia Christi, cap. 19: *Lex data est ut gratia quæreretur*. Deinde hinc nascitur decima-quarta prærogativa legis novæ; nam vetus fuit figura novæ, quia omnia illa sacramenta fuerunt umbræ futurorum, ut ait Paulus: unde, e converso, lex nova comparatur ad veterem tanquam veritas ad umbram, juxta illud: *Veritas per Christum facta est*. Et sic etiam dixit August. 16 de Civitate, cap. 26, vetus Testamentum obumbrasse novum, et in hoc omnia resonare novitatem. Imo ideo (inquit) illud dicitur vetus, quia est *occultatio novi*, et hoc novum, quia est *veteris revelatio*. Et hinc etiam dicitur lex nova fuisse contenta in veteri, vel tanquam in imagine et figura, vel tanquam in semine, ut explicuit D. Thomas, dicta quæst. 107, art. 3, ex Gregor., hom. 6 in Ezechiel., et August. 19 contra Faustum, cap. 28. Alia vero ratione

dixit Victor. Antiochenus ad cap. 4 Marci: *In nova lege veterem teneri inclusam, et ideo ubi nova non est, veterem locum habere non posse*. Dicitur enim lex vetus esse in nova tanquam in suo complemento, et quia quæ in illa erant in figura, in hac sunt in veritate; et quia quod illa inchoavit, hæc perfecit. Unde etiam dixit Aponius, lib. 5 in Cantic., circa id: *Tenui eam, etc.: Lex lactat Ecclesiam, gratia generat*. Hinc denique dicitur lex nova implevisse veterem, quia quidquid per illam promissum et adumbratum est, in nova est impletum; et quia per novam legem vetus antiquata est, quia tempus ejus jam erat impletum, et ejus utilitas jam cessaverat, ut divus Thomas supra explicat, art. 3. Ex quibus etiam licet colligere, in lege nova excellentius inveniri quam in veteri, illas perfectiones divinæ legis quas ponit David Psalm. 18: *Lex Domini immaculata, convertens animas, etc.*, ut late explicuit Lyran. dicta Præfatione ad Evang. Denique si spectentur conditiones legis quas alias posuit Isidor., scilicet, quod sit honesta, possibilis, loco temporisque conveniens, utilis, necessaria, perspicua ac brevis, in omnibus invenietur hæc lex summe perfecta, et non solum legem veterem, sed omnem etiam aliam quæ prudenter cogitari possit, antecellere. Quamobrem etiam ipsi Hebræi veritatem hanc agnoverunt, ut intelligi potest ex Paulo Burgen. in addit. ad Hebr. 1, ubi refert Glossam Hebræi ejusdam super il Ecclesiastes 1: *Omnia vanitas*, dicentem: *Omnia lex quam addiscimus in præsentis tempore, vana est respectu legis Messie*. Nam licet suo tempore utilis fuerit, cum tamen salvare homines non posset, nec ad beatitudinem introducere, vana esset, nisi per CHRISTUM compleretur, qui et sanguine suo januas cœli aperuit, et initiavit nobis viam novam, relicta lege gratiæ, per quam illam consequi et in Sancta Sanctorum æternæ beatitudinis introire valeamus.